



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidecalogvs Theologico-Politicvs Reformatvs

Dript, Laurentius a

Paderbornae, 1672

Articvlvs II. In Ignorantia legis naturalis à peccato excuset, sive an illius
detur ignorantia invincibilis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-13441

malum, bonum esse credatur: Sæpe enim teste S. Isidoro lib. 2. Sentent. cap. 27. quæ ad hominum iudicium bona apparent, apud examen diligentissimi & acutissimi iudicis reproba deteguntur. ideoque omnis Sanctus veretur, ne forte bonum, quod agit pro aliquâ intentione animi in oculis Dei reprobum sit, ut merito metuat sibi Propheta Job 9. inquit, verebar omnia opera mea sciens, quod non parceres delinquenti: & merito cuius terrorem incutiat, dum videt tot sententias Præceptorum Dei & Ecclesiæ, imò & Decalogi elusivas pro probabilibus venditari: contra quarum tamen aliquas jam à Sede Pontificia fulminatum est, & contra alias fulmina expectantur.

ARTICVLVS II.

An Ignorantia legis naturalis à peccato excuset, siue an illius detur ignorantia invincibilis?

I. Ignorantiam fundamentum esse, & basimprobabilitatis articulo præcedenti
C
obiter

obiter insinuatam est: elucetque ex propositione tertiâ ibidem allatâ, quæ erat: *Cum tibi menti non occurrit, illud esse peccatum, nec ullum dubium de indagandâ veritate, jam laboras ignorantia inculpabili*: Ex qua sequitur, quod quotiescunque à culpâ excusatur, ignorantia, toties & sententia probabilis, solum autem ignorantiam invincibilem à peccato excusare communis hæcenus, si hæreticos & paucos alios excipias, est sententia. In præsentî proinde ad propositum nostrum querendum est, an detur ignorantia invincibilis primorum principiorum legis naturalis, ac præceptorum Decalogi: si enim non detur, nec in illis erit locus sententiæ probabilis.

2. Sciendum proinde est legem naturalem posse considerari, vel secundum communissima principia omnibus nota, quæ sunt: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, & quæcunque vultis, ut vobis faciant homines, & vos facite illis: bonum faciendum, & malum est fugiendum.* & similia: ex quibus alia per necessariam consequentiam deducuntur: vel secundum particularia, quæ sunt

quasi conclusiones ex illis necessario deductæ. De lege naturali priori modo considerata in præfenti sermo erit, de posteriori Articulo immediate sequenti. Et quidem superfluum videtur hanc quæstionem instituire, cum vix ullus unquam prioribus sæculis in dubium vocarit rem adeo claram, & id ipsum sufficienter sit resolvendum Articulo sequenti, ubi determinabitur non posse dari Ignorantiam invincibilem præceptorum Decalogi, quæ sunt conclusiones legis naturalis priori modo considerata: quanto minus principiorum ex quibus illæ deducuntur? ut nihilominus distinctè & ordinate procedatur, hæc distinctis Articulis proponere & resolvere volui.

3. Et primo loco pro sententiâ negativâ resolvit *Decreti compiler*, atque etiam alicubi *dilucidator Gratianus*, diserte pronuntians, Ignorantiam Juris naturalis, omnibus hominibus adultis damnabilem esse: *Innocentius Tertius cap. per tuas nobis. de Simoniâ.* ubi asserit, *quendam incurrisse labem Simoniacam, quem tamen, ignorantia Juris lapsus testatur.* Gratiano & Innocentio subscribitur.

Doctor Angelicus D. Thomas, 1. 2. q. 94. a. 6.
 in corp. qui hanc quæstionem clarissime re-
 solvit: *Ad legem naturalem ait is pertinet*
primo quidem quadam præcepta communissi-
ma, quæ sunt omnibus nota: quadam autem se-
cundaria præcepta magis propria, quæ sunt
quasi conclusiones propinquæ principiis. Quan-
tum ergo ad illa principia communia lex na-
turalis, nullo modo potest à cordibus hominum
deleri in universali: deletur tamen in parte
culari operabili, secundum quod ratio impedi-
tur applicare commune principium ad parti-
culare operabile, propter concupiscentiam
vel aliquam aliam passionem. Quan-
tum verò ad alia præcepta secundaria po-
test lex naturalis deleri de cordibus homo-
num, vel propter malas persuasiones eo modo
quo etiam in speculativis errores contingunt
circa conclusiones necessarias; vel etiam pro-
pter pravas consuetudines, & habitus corru-
ptos, sicut apud quosdam latrocinia non repre-
tabantur peccata, vel etiam vitia contra na-
turam. Et idem clarissime convincunt verba
eiusdem Doctoris Angelici in summâ scilicet
ca. hoc inquit, quod non habeat aliquis con-

scit

scientiam sui peccati, potest contingere dupliciter; uno modo per culpam suam, vel quia per ignorantiam juris (quæ non excusat) reputat non esse peccatum, quod est peccatum: puta, si quis, fornicator reputaret simplicem fornicationem non esse peccatum mortale: vel quia negligens est in examinatione sui, contra id, quod Apostolus dicit: probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: & sic nihilominus peccat peccator sumens corpus Christi, licet non habeat conscientiam peccati, quia ipsa ignorantia est ei peccatum.

4. Clarissimus est textus Cancellarij Duacensis Estij 2. Dist. 22. §. 14. ubi ait: Ignorantia juris naturalis nunquam facit actum prorsus involuntarium, etiam quâ ratione peccatum est, quia non facit, ut malum prorsus ignoretur, sed semper permittit ipsum aliquo modo sciri: quamvis enim, qui hac ignorantia laborat, ignoret hoc malum, quod agit sub ratione generis, id est, nesciat esse peccatum: novit tamen sub ratione speciei, cui naturaliter & essentialiter tale genus competit. Exempli causa, qui mentitur officiose putans tale mendacium esse licitum; is quidem nescit tale men-

dacium pertinere ad genus peccati, ideoq; putat non esse peccatum : scit tamen se mentiri, & proinde actum, qui essentialiter malus est, voluntariè committit. Eadem est ratio de fornicatione, usurâ, Simoniâ, ac cæteris per se malis, id est, quæcunque non ideo mala sunt, quia prohibita, sed ideo prohibita, atque illicita, quia mala sunt. Quæ verba clarissima, alias etiam Neotericorum sententias infra adducenda evertunt, scilicet : posse aliquem invincibiliter ignorare mendacium esse peccatum, item fornicationem solum esse malam, quia prohibita est, non ex naturâ suâ, &c.

5. Pro eâdem sententiâ stant omnes, quot sentiunt non dari ignorantiam invincibilem Juris divini, cum sub illo contineatur Jus naturale, vel specialiter id negant de jure naturali : Si enim non detur ignorantia invincibilis juris naturalis, ergo omnis ignorantia in illâ est vincibilis, ergo culpabilis, cum solum invincibilis secundum omnes culpâ excuset : sic autem sentiunt omnes Vasquez citati scilicet *Albertus Magnus, Alexander Alensis, Bonaventura, Guilielmus Parisiensis, Guilielmus Antisiodorensis, Durandus*
Gabrie

Gabriel, Gerson, Adrianus, Alphonsus à Castro, Cajetanus, Hesselius, ex quibus omnibus Gerson lib. de vit. spirit. eam asserit esse concordem, inquiens: quidquid sit de ignorantia facti, aut furis humani positiui; concors est sententia nullam in his, qua legis divinae sunt, cadere ignorantiam invincibilem: quorum ratio est, quia lex naturalis ab initio creationis indita est omnium hominum mentibus, juxta illud: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*: & quodammodo aliquid ipsius creaturae rationalis juxta illud Apostoli ad Romanos 2. *Gentes, quae legem scil. positivam non habent naturaliter ea, quae legis (naturalis) sunt, faciunt: ejusmodi legem non habentes, sibi ipsi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia ipsorum & inter se invicem, cogitationum accusantium, aut etiam defendentium.*

6. Ad quod etiam facit, quod idem Apostolus paulo ante citata verba adducit. *Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*: Certum est autem neminem condemnandum, vel periturum, nisi legis praevaricato-

catores, five illa sit naturalis, five positiva: ubi enim lex non est, nec prævaricatio, nec peccatum: cum prævaricantes sint omnes peccatores terræ.

ARTICVLVS III.

*An detur Ignorantia invincibilis
Præceptorum Decalogi?*

I. **D**ari ignorantiam invincibilem Præceptorū Decalogi, eorumq; transgressores ea propter à peccato excusari, hoc tempore insistendo principiis novæ probabilitatis, nihil novum est. Vnde quidam ex Neotericis suis fundamentis conformiter peccato excusat Atheos, & Polytheos eos scilicet qui nullum vel plures Deos credunt; asserit enim Deorum pluralitatem stando in puris principiis naturalibus defendi posse, & propugnari: & iterum prudentia humana viribus naturæ derelicta probabilissime crederet plures Deos: & alio loco ait posse dari ignorantiam invincibilem Dei, quoad aliud quod tempus saltem breve, omnes Schola-